



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

tingat jus Divinum ut *quod*, sed ut *quo*, & quòd actus Divinae fidei respiciens DEUM ut verum affirmabile, attingat DEUM ut *quod*, nullam dicit oppositionem; ergo inter duas has assertiones nulla dari potest oppositio.

106. Quapropter, licet Eximius Doctor conclusionem de fide docuisset juvenis, & illam de adoratione senior, conclusiones inter se coherentes tradidisset, adeoque penetratis terminis dici nequit unam per alteram retractasse; quòd autem hæc sit vera Suarii doctrina, clarius est, quàm quòd probatione indigeat: si enim Adversarii patienter legant ipsum, omnia hæc in illo expressa invenient. Legant precor illam disputationem tertiam de fide sect. 2. num. 7. ubi hæc habet: [denique hoc non negat idem Vals. Nam statim c. 4. faterur, testimonium Divinum, quatenus est ratio credendi omnia revelata, esse objectum formale fidei; non video tamen, cur, vel qua consequentia, & doctrinā negaverit, eandem revelationem esse objectum formale Theologiæ cum proportionem lumpsum mediatē, & quatenus per discursum applicatur ad conclusiones Theologicas elicatas ex præmissis fidei; verum & incidit in aliud inconvenientem, dicens eandem esse Theologiam in homine Catholico, & Hæretico, quoad conclusiones, quas uterque eliciunt ex præmissis, quæ credunt: nam, sicut illi duo non habent eandem fidem, neque planè habere possunt Theologiam ejusdem rationis; cum Theologia niratur principiis eo modo, quo credita sunt; de quo latius sect. 11.]

107. In hac ergo sectione 11. num. 9. ita habet, [altera illatio est; assensus Theologiæ alterius rationis est in Hæretico, & in Catholico, etsi Valsquez suprà contradicat. Ratio est, quia in Hæretico procedit ille assensus ex fide humana, quæ ex parte pendet à præmissa credita, & consequenter non potest esse tam certus, quàm est assensus scientificus, quia fides humana non est tam certa, & ut dixi assensus conclusionis non est certior, quàm illa præmissa, quæ minus certa est; at vero in Catholico assensus ille fundatur in certitudine fidei, quæ potest juvare certitudinem scientiæ ad eliciendum assensum conclusionis saltem æquè certū, ac est ipsa scientia; ergo sunt assensus diversarum rationum; & in hoc sensu certè loquuntur Theologi, esse scientiam in Catholico, non in Hæretico; intelligendum est enim quoad certitudinem, non quoad evidentiam. Sic etiam verè dicitur, quòd, sicut Hæreticus in uno articulo perdit totam fidem infusam quoad omnes, ita & perdit totam Theologiam; quia scientia sub modò est, & licet retineat fidem quandam humanam, saltem mediatam quoad aliquas conclusiones Theologicas: nam quidquid sit de habitu, est hoc verum quoad usum, & exercitium actuum, qui illi procedunt per se, & quasi antecedenter ab assensu fidei infusæ, qui in Hæretico esse non possunt. Confirmatur, & declaratur breviter; quia non est verisimile, Hæreticum meliorem, &

firmiori assensu credere Christum v. g. esse risibilem, quàm esse hominem; sed hoc secundum solum credit fide humana; ergo & primum. Contra verò Catholicus non minori certitudine credit Christum esse risibilem, quàm assentiatur illi principio universali, omnis homo est risibilis, cujus certitudo est major, & perfectior, quàm sit fide humana; ergo & assensus illius conclusionis Theologicæ perfectioris rationis est in Catholico, quàm in Hæretico]. Hucusque Eximius Doctor, quæ sola verba satis erunt ad intelligendam doctrinæ connexionem, & ad laudandum potius maturitatem ingenij, quàm ad redarguendam levitatem; sed videamus jam magnas Adversariorum demonstrationes,

SECTION III.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam conclusionem. 108.

Eximius Doctor docet juvenis Tractatum de fide; atqui in tertia parte edita 1614. locupletavit illum senex; ergo in hoc, & non in illo primo Tractatu colligenda est ultima sua voluntas. Confirmatur. Ad frontem hujus tomi 1. in 3. part. dicit Auctor multis in locis ea esse emendata; ergo tradit doctrinam contrariam illi, quam tradiderat juvenis. Resp. dist. maj. docet juvenis solum, nego, docet juvenis æquè ac senex, & quidem post edita opera ab Adversario citata, conc. maj. & min. neg. consequ. quam certè Adversarius ipse negasset, si opera Eximij Doctoris legisset. Videatur num. 95. Ad confirmationem neg. ant. & miror valde, quòd Adversarius ita loquatur contra veritatem adeò claram, quæ ipsis oculis potest ostendi: in fronte enim illius tomi nequaquam ait, se aliquid emendasse, sed se ea opera augere, & locupletare, ut dicemus num. 115.

Objicies 2. contra secundam assertionem: in sententia Suarii, ut habet disp. in 1. 2. sect. 3. num. 5. amor mediorum ut utilium ad finem præintendum non necessariò terminatur ad ipsum finem in se; ergo assensus mysterij propter revelationem non debet attingere necessariò in se ipsa revelationem. Resp. dist. ant. ad finem præintendum, quando proponitur ut bonum amabile, neg. quando amor jam elicitur circa finem, imperat electionem mediorum, conc. ant. & dist. consequen. assensus mysterij propter revelationem, si sit assensus Theologicus non reflectens supra præmissas, sed ab ipsis ad modum imperij deductus, conc. si sit actus fidei Divinae, neg. consequ. nam actus Divinae fidei non minus respicit intrinsecè, & immediatè Divinam revelationem, quàm amor mediorum propter finem, quando repræsentatur finis ut bonum amabile, attingat ipsum finem. Unde, sicut in eo casu amor mediorum est formaliter amor finis, attingitque non tantum ut *quo*, sed & ut *quod* ipsum finem, ita & actus Divinae fidei assentitur revelationi, atque adeò attingit

tingit non tantum ut *quo*, sed & ut *quod* Divinam revelationem.

110. Unde solum potest fieri paritas ex actu attingente media ut utilia ad finem, qui procedit quasi imperatus ab amore finis ad, actum conclusionis Theologicæ, qui procedit quasi imperatus ab intellectu instructo præmissis; quo assentitur fidelis mysterio propter revelationem non respiciendò ut *quod*, seu ut *quo* ipsam revelationem; quo in casu paritatem admittimus, eamque admittit Eximius Doctor; at intendere paritatem inter actum Theologicum, & actum fidei est extra chorum saltare. Unde apparet, quàm exorbitanter locutus sit Adversarius, qui vi hujus argumenti dixit, Doctorem Eximium mutasse sententiam, quam nos defendimus, & addidit, mirum videri posset, nisi hoc esset magnum veræ sententiæ signum, quod alibi sibi adversantes tandem aliquando vel tanquam ex improvviso adortus, vel tanquam melius advercentes cogat ad eam fatendam. Certe ego modestius, ac verius dicam, signum esse falsæ sententiæ falsis suppositis illam probare.

111. Obje. 3. Disp. 54. sect. 5. tom. 1. in 3. part. sic Eximius Doctor ait: *Fidelis assentitur veritatibus fidei nixus Divino testimonio, & veritati infallibili ejus ut ratione formali, quamvis eo actu, quo credit rem revelatam, non credit vel Deum esse primam veritatem, vel Deum hoc revelasse*; atqui hoc manifestè pugnat cum altero, ubi docet, fidelem per assensum Divinæ fidei non solum credere rem revelatam, sed credere etiam necessariò revelationem; ergo istæ duæ assertiones habent inter se manifestam oppositionem. Confirmatur. Electio mediæ propter finem, adoratio imaginis propter exemplar, pluresque alij actus voluntatis attingunt in sententia Eximij Doctoris objectum materiale propter formale, quin respiciat objectum formale *quod*, sed *quo*; ergo idem dicendum est necessariò de actu Divinæ fidei; atqui de actu Divinæ fidei oppositum docet; ergo docet sententias oppositas.

112. Resp. conc. maj. & neg. min. quam negasset Adversarius, si patientiam habuisset legendi Suarium, in cujus sententia dupliciter fidelis assentiri potest, & credere mysteria fidei, vel per actum Divinæ fidei, vel per actum conclusionis Theologicæ non reflectentis supra præmissas, ut dictum num. 105. De primo docet, attingere revelationem ut *quod*; de secundo verò ut *quo* tantum, sed cum secundus sequatur naturam actus imperati non reflectentis supra imperantem, primus verò non sequatur naturam actus imperati ab actu fidei, sed sit ipse fidei Divinæ actus, quæ tener paritas ex uno ad alterum: hoc enim est quasi dicere, actus Divinæ fidei credit revelationem; ergo quicumque actus subsequens fidem, credit revelationem; quæ sanè illatio monstruosa est in Philosophia, & Theologia.

113. Ad confirmationem diff. ant. si objectum formale proponitur ut bonum amabile, atque

intrinsecè attingatur ab actu, neg. si objectum non ita proponatur, sed extrinsecè solum attingatur ab actu ad eum modum, quo dici solet: actus imperatus attingere objectum imperantis conc. ant. & neg. conseq. Nam talis actus voluntatis, qui non attingit ut *quod*, sed ut *quo*, objectum formale, vel non habet objectum formale, quod attingat ut bonum, ut dictum est de Religione in actibus adorationis; vel non respicit illud intrinsecè, sed extrinsecè; siue non immediatè; sed mediatè, quod Adversarius advertisset, si legisset Eximium Doctorem loco ab ipso citato. ubi loquendò de his actibus ait, [tum & in actibus voluntatis, ut in amore, quo amatur una res propter aliam, ut propter rationem amandi extrinsecam] quid clarius? quare, cum actus Divinæ fidei intrinsecè attingat Divinam revelationem, & quidem propriam, ut verum infallibiliter affirmabile, quomodo inferitur ex necessitate affirmandi revelationem adesse necessitate amandi objectum extrinsecum: hæc enim illatio potius à Summistis, quam à Theologis est corrigenda.

Quæ, cum ita sint, mirum est, quòd Recentior aliquin in evolvendis libris labori non parcens, in tam ingentem equivocationem (quoad præsens attinet) prolapsus sit. Quod quidem doctrina Suarii se ipsa clarissima est, atque exinde, præsertim ab omnibus quantumcunque ei minimè additis maxime commendatur, quòd sibi semper constans, & ubique coherens, nec tantum eam laudem hucusque promeritus est propter connexionem, qua omnia principia sua, quæ ad specialem Tractatum pertinent, digesta valde, & ordinata conjunxerit, sed propter connexionem, quam inter tot, & tanta volumina ingentia observat. Cæterum hæc omnia clariora hent, si ex doctrina Suarii hucusque tradita illationes aliquas quasi gemmas, & uniones doctrinæ suæ aliquanto attentius inspiciamus, pro quo fit

SECTIO IV.

Illationes ex doctrina data depromptæ.

Fit 1. Eximium Doctorem tom. 1. in 3. part. edito 1614. nequaquam emendasse, quæ antea dixit, aliisque in impressionibus doctus, sed antiqua auxisse, & locupletasse. Sicut enim habet in fronte hujus editionis. [Editio postrema nunc postremo ab ipso Auctore recognita, & in omnibus fere gravioribus disputationibus plurimum aucta, & locupletata] quod idem admonet in secunda ad lectorem. Quin vel unquam insinuet, se hic aliquid retractasse, vel emendasse; ex quibus facile apparet, non nisi per ingentem equivocationem Adversarium dixisse num. 89. quòd hujus, inquam, contrarium docuerit senior, & nobiscum censuerit meridiana luce clariùs patebit cuicumque legenti primum, & tertium eorum in 3. part. ab ipso Auctore multis in locis emendata, & plurimum